

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

Cl. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

C I.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

Quam Praside

M. PHIL. DAVIER DE BREVILLE.

Tuebatur

FRANC. FELIC. COCHU,

Sub hac verborum serie

AN EDUCENDO CALCULO, CÆTERIS
ANTEPONENDUS ALTUS APPARATUS?

Parisiis 15 Aprilis anno 1734.



I.

Quicumque terræ munere vescimur, licet una eademque via, ad vitales luminis auras, accedamus; & omnes una eademque nox maneat; non uno tamen eademque tramite, omnibus calcanda via lethi. Dant alios furæ torvo Marti spectacula, mare est exitio nautis avidis. Per innumeras insolentium morborum facies, mixta senum & juvenum funera densantur. Improvisi casus plurimas aggerant victimas; nil miserantis orci. Nec minimus acerbæ libitinæ quæstus, calculus. Is enim tam diris cruciatibus miseris divexat ægros, ut mortem exoptare, seque ipsos morbi devovere, aut periculosa plenum opus alexæ tentare saltem non dubitent ad tam formidolosum ejciendum hospitem. Sola quippe vesicæ sectio, calculo laborantibus, opitulari & subvenire potest, nec atteri & comminui posse medicamentis, sperandum. Quadruplici autem via seu methodo educitur calculus: per parvum, per magnum, per lateralem & per altum, ut vocant, apparatus. De parvo, raro & non, nisi cum insertus est in urethram calculus, celebrando, non hic quæstio. Reliquorum vero methodorum quælibet, suis gaudet affectis, & fautoribus. Tu nullius magistri in verba jurare addictus, & bonarum rerum ægri ambitiosior, simplicior, brevior, certior, tutiorque eligendo non hærebis.

I I.

Apparatus, ab authore Mariananus, ab instrumentorum farragine magnus dictus, sic celebrandus. Ægro semi-supino super mensam certam & stabilem collocato, manibus una cum pedibus, mediantibus laqueis, firme junctis & innexis, catheter gibbus in vesicam demittitur; qua parte gibbus est, fulcatus. Tunc minister scrotum sursum manibus attollit, ejusque futuram, *raphè* dictam, in alterutrum latus, dextrum puta, sic detorquet, ut mediantibus digitis indicibus, perinæi tegumenta, jam jam secandi chirurgus, sese firma & tensa exhibeant. Tunc chirurgus læva tenens, intromissi catheteris extremitatem, qua, cum & ægri corpore angulum fere rectum describendo, curvaturam ejus in perinæi locum, inter ministri digitos reliquum, dirigit, & parumper protuberantem impellit; dextra vero cum scalpello, seu potius lithotomo, catheteris fulcum sequace, tegumenta, ipsamque urethræ partem anteriorem, quantum fieri potest inferam, salvo tamen & intacto recto intestino, incidit. Peracto vulnere, conductor unus & alter, mas & femina dictus, vel latior Hildani conductor, gallicè *Gorge-ret*, mediante catheteris fulco, ad dilatandam incisionem, introducitur. Hinc, amoto cathetere, chirurgus forcipes dentarias, prout ætas ægri & moles calculi postulat, multigenas infert, quas huc illuc mutando versat,

Tom. I V.

V

cum



cum magnificandi adhuc vulneris, tum calculi deprehendendi gratia; quem, simul ac correptum sensit, omni arte & industria totisque viribus educere al- laborat. Quam periculosa autem sit ista operatio, quanta ægro inferat incom- moda, quivis facile intelligere potest, qui perpenderit, plurimas partes, ve- sicæ collo adjacentes, sæpius & fere semper in ea lædi & dilacerari. Qui sciverit, quantum adsit inde hæmorrhagiæ, inflammationis, virium disso- lutionis, febris, necrosis mortisque periculum: dum partes nervosæ adeo immaniter divexantur, dum per frequentem tot instrumentorum itum redi- tumque dilatantur & dilacerantur; dum vulneris os, mirum in modum, adhuc amplificatur, ut forcipes dentariæ, mole calculi foetæ & distitæ retra- hantur.

III.

In apparatu autem laterali dicto, sic procedendum, ægro super mensam omnino supino collocato, cruribus diductis & reductis, pedibusque cum ma- nibus illaqueatis, catheter profundius sulcatus, majorisque curvaturæ in ve- sicam demittitur. Minister dum una manu scrotum sustinet, altera catheteris extrema, versus ægri ventrem, ad inguem dextrum, ea ratione impellit, ut convexa pars sulcata sinistrorsum, ab arcu ossium pubis, ad ischii promi- nentiam, obvertatur. Tum chirurgus cute primum, simul ac pinguedine, scalpello incisa, lævæ manus indice in vulnus immisso, catheterem explo- rat & investigat, ut acies lithotomi, punctum demissi, sulco certius imprimatur. Tuncque fit incisio ad ischii tuberculum, ab angulo, in quem acce- lerator & erector musculi coëunt; sicque prima pars urethræ, tum sphincter, vesica & una prostatica, obliquo & patente vulnere, aperiuntur. Inde, per sulcum catheteris, adacto in vesicam conductore *Gorgeret* dicto, amo- toque tunc cathetere, mediante conductoris cavo, forcipes dentarias intro- ducit chirurgus, ut calculum apprehendat, citoque citius extrahat. Jam vides quidnam sit hancce inter & primam methodum discriminis. In utraque equidem partes vesicæ adjacentes læduntur; sed in hac proscinduntur, dum in illa contunduntur & dilacerantur. Certum quidem est partes quascumque sectas, minus lædi contusis & dilaceratis, citiusque resarciri & redintegrari; sed non omnino certum in hac operatione, harum partium fibras, nullatenus disrumpi & divelli. Si enormis enim adsit calculus, qui poterit, absque divexatione & dilaceratione extrahi? Sed alia insuper, non levis momenti, occurrunt incommoda. Verendum, ne ministri manus, extrema catheteris tenens, evagans & titubans, hunc a fede & loco dimoveat. Ingens adest pe- riculum, ne pudenda arteria, acceleratorem & erectorem musculos perre- ptans, dum ad corpus cavernosum tendit, aut ramus arteriæ, qui ad ureth- ram, aut ille, qui ad prostatas fertur, in harum partium incisione, pariter secetur, unde hæmorrhagia oborietur non facile cohibenda, tum operationem datura fastidiosiore & multo vitiosiore.

IV.

I V.

Altus vero apparatus olim a *Francone*, quasi invito & coacto, primum fortuito tentatus, hodie sic perficitur. Ægro super mensam, aut lectum, parumper retrorsum declivem, resupino, capite tamen pulvinis suffulto, ducta crura fasciis vincia habenti, vesica hordei aqua, vel lacte aut decocto vulnerario tepido, per siphonem argenteum pyxidi clystericæ aptatum & peni immisum, in eam usque penitus injecto, distendi satis debet; quod per imi ventris meteorismum cognoscitur; utque injectio non resuat, penis manu servi constringendus, aut molli vinculo comprimendus. Tunc chirurgus in medio hypogastrio cutem pinguedinemque, ad pubem usque & virgæ radicem, secat, vulnere trium quatuorve digitorum transversorum longo, hinc lineam albam, plaga minus longa; per quam vesica nuda & humore turgida digitis tangitur (nonnulli decoctum, per fistulatum catheterem, in vesicam injiciendum, his tantum peractis incisionibus, contendunt, nec immerito.) Tum vesica, ab hypogastrio ad pubem, scalpello incurvo, celeriter acto, incidenda, sinistro manus indice pone dorsum scalpelli, dum vesicam secat, ita adhærente, ut sectam statim arripiat, & unci vice, retineat suspensam, sicque digitis manus dextræ calculum apprehensuris, facilius pateat aditus.

V.

Jam si varias illas operandi methodos conferre inter se, fert animus, quæ, hæc inter & cæteras, differentia? quod discrimen? situs ægri in hac, non adeo, ac in illis, formidolosus: multo citius ac celerius, paucissimis instrumentis, unico tantum scalpello, potest perfici. Nullus hic immoderatus sanguinis fluxus; nec ulla quidem extimescenda hæmorrhagia. Omnes hic convulseratæ partes dilatari, quam maxime, possunt; multo certe facilius & amplius quam perinæi regio, in aliis secari solita. Nullis diversis conductoribus, nullis dentariis forcipibus, nullis variis uncis, nullo dilatatorio, mirum in modum exhorrendo, ad extrahendum calculum, hic opus. Chirurgus solis digitis quasi oculatis, in vulnus inditis, vesicæ regiones omnes perlustrat, calculumque, nullo negotio deprehensum, propere & celeriter extrahit. Non metuendum, ne, si forsan adsit friabilis, frangatur & diffiliat, cum a solis digitis, exquisito tactu gaudentibus stringatur. Non metuendum ne, quod sæpius accidit, quædam vesicæ portiuncula, his atque illis instrumentis deprehensa, laceretur & extrahatur, brevi perniciem allatura. Cum nullæ hic dicatæ generationi partes, lædantur, scindantur aut dilacerentur; nulla expavescenda eviratio, nulla, prolis in posterum suscipiendæ, desperatio; nullum quoque periculum, ne post exsectum calculum, detinendi urinam sequatur defectus, aut fistula maneat, per quam, intolerabili foetore & magnis nonnunquam doloribus tota vita illa effluat. Vulneris quoque curandi æque expedita ratio; neque enim præterfluens urina, discissæ partis, unionem



moratur. Non prælongis turundis, nullis tubulis, qui quamprimum immitti solent, hic opus. Cum igitur hæc operandi methodus, cæteris multo sit expeditior, dolore minimo, nullo vesicæ damno, nulla partium adjacentium divexatione & dilaceratione, nullo periculo tum in virili, tum in muliebri sexu, peragatur, cum tot experimentis hic & alibi multoties repetitis celebrata successerit, ab omnibus sane deberet ultro admitti, nobis vero æquam causam & rationem certam offert concludendi.

Ergo, educendo calculo, cæteris anteponendus alius apparatus.



DISSER.



CIL

DISSERTATIO
CHIRURGICA,

DE

LITHOTOMIÆ CELSIANÆ
PRÆSTANTIA ET USU.

Quam Præside

D. LAURENTIO HEISTERO,

Publice tuebatur

JOAN. GUIL. ILSEMANN.

CELLERFELDENSIS CHERUSCUS.

Helmstadii mensæ Novembris anno 1745.

V 3

